115

# Sigismundus Rex Poloniae
## Petro Petrowitz

Spectabilis ac Magnifice sincere nobis dilecte. Magnam fidem et singulare studium agnoscimus S. Vrae in Serenmae Filiae nrae rationibus adjuvandis, quo nomine habeamus illi graam per omnem occasionem relaturi. Videmus Mtem Ejus, ut aliis rebus necessariis multis destitutam, ita a pecunia quoque valde esse enervatam, quam cum illi transmittere cupiamus, quemadmodum, id tuto a nobis effici possit, non videmus. Quamob rem a S. V. petimus, ut suam illi interim nostra fide mutuam det pecuniam, duodecim millia florenor in moneta Hungarica, cum in sumptus necessarios, tum in milites, qui mtem Ejus committentur non ducendos. Quam nusquam tutius posse collocare videtur, quando enim volet S. Vra, persolvendum illi curabimus, et magnam ea re a nobis est gratiam initura. Quin etiam si ita visum erit S. V. certa bona nostra in ea summa illi inscribemus, atque obligabimus, quam hortari, ut qua coepit esse fide erga Serenmam filiam nram, in ea praestet, supervacaneum ducimus, faciet enim proculdubio pro excellenti

virtute

virtute sua, spectata iam satis omnibus et probata, ut extrema cum primis conferat. Illud modo a S. V. plurimum postulamus, quando Serenissimae Filiae Nostrae isthinc erit proficiscendum, quod quidem semota quavis cunctatione fieri velimus, eam S. V. committetur. Et si quid viderit exhiberi negotii in adeunda possessione Scepusii ad nos recta Mtem Ejus deducat. Neque enim diutius anxii et sollicitii de illa esse possumus. Cum venerit Sinceritas Vestra gratos nos et memores cognoscet officiorum, quae in Serenissimam filiam nostram contulit, quae bene valeat.

Datt Cracoviae 2. 8bris 1542. Ao.